DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Lunæ decimâ-quartâ mensis Febuarii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. PETRO BERCHER, Facultatis ex-Decano & Academiæ Censore, Regiæ Hispaniarum Infantis, dum viveret, necnon Regii exercitûs ad Infimum Rhenum in ultimo bello Medico Primario, Doctore Medico, Præside.

An in inflammationibus pulmonum etiam cum sputo cruento aliquando Emeticum?

I.

CUM inter morbos qui mortalium genus affligunt, nullus ferè crudelior, & tamen vix frequentior occurat quam *peripneumonia*, nullus etiam est de quo tam variè senserint Medici, & quem tam diversis remediis aggressi fuerint. Etenim alii lentorem sanguinis incusantes, ad ea quæ eum attenuant, ipsius que cursum promovent auxlia confugiunt; alii ejusdem æstum, partiumque stricturam, quæ temperare, mollire, demulcere valent solent sola exhibenda esse censerunt: alii sanguinem ultrà modum profundunt; alii vix semel aut bis: alii denique emeticum ut venenum omnino prohibent; alii ut efficacissimum auxilium adhibent. Quæ si pro diversis & determinatis morbi speciebus, non autem indiscriminatim effecissent nihil esset quod miraremur, immò laudanda foret eorum prudentia. Undenam igitur tanta inter artis Medicæ peritos sententiarum diversitas? Plurimi scilicet ad sola symptomata in curandis morbis attendentes, causam ferè omninonegligunt: cæteri verò altiùs scrutantes, inter symptomatum turbam quibus abdita sœpe latet morbi causa, eam tamen secernere sciunt, hùcque curationem dirigentes, importunam hanc simul symptomatum catervam feliciter dissipant. Et certè quæ potest esse in medendo felicior ratio quàm directè causam adoriri? Nam quid axioma tam vulgare, *causâ sublatâ, tollitur effectus*, commemorare opus est? Hùc revocentur & animo fingantur colicæ Pictorum symptomata. Quâ horrendâ specie sese offert? Quâ atrocitate ingruit? Quibus doloribus convulsiones sæpè excitantibus ægros distorquet? Hæc omnia tamen sanantur remediis quæ in sanis ea forsan excitarent: quippe cum à materiâ intestinorum tunicis adhærente & irritante producantur, solâ ejusdem expulsione sedari possunt; pessimèque sibi & ægroto consuleret Medicus, qui oleosis, anodynis & demulcentibus tantummodò uteretur. Num in *peripneumoniis* etiam cum sputo cruento, quid similè posset occurrere, &, cum sputum cruentum symptoma videatur emeticis duntaxat exacerbandum, fieri posset ut iis utpote causæ expugnandæ accommodatis tolleretur? Etenim si inflammationes pulmonum, ut constat, à sanguine in ipsorum vasis stagnante oriuntur, qui pone urgentis impetum excipiens vasa distendit, eaque etiam disrumpendo effunditur, sputaque inficit; quid à remediis quæ motum & actionem fibrarum adaugendo citam resolutionem efficere valent non sperandum? Si itaque demonstratur nihil aptius esse sanguinis in pectore infarctibus resolvendis, ipsiusque motui expediendo quàm succussiones ab emeticis productas, quid commodi in pulmonum inflammationibus etiam cum sputo cruento ab emeticis expectandum sit, simul evictum fuerit.

II.

PORRO inflammationem à sanguinis cursu ob ipsius moleculas in vasis implicitas intercepto oriri, ita omnibus notum est, ut eam hîc longiùs explicare prorsùs supervacaneum sit. Duas autem præcipuas esse causas animadvertemus; sanguinis nempe partium eam crassitiem quâ canalibus permeandis propter molis excessum ineptæ sint: alteram vasorum eam stricturam quâ diameter illorum imminuta minor fiat moleculis transmittendis. Ex quibus jam liquet inflammationis causam proximam esse sanguinis infarctum in suis vasis. Hinc tumor à sanguine stagnante suaque vasa distendente; hinc dolor à distractione fibrarum, durities à congesto & condensato sanguine, febris ab irritato corde resisten-

* *Auctore M.* PETRO BERCHER, *Ex-Decano, anno* 1741.

tiis ipsius actioni, liquidorumque motui obsistentibus, ardoris sensus à valido motu & attritu cruoris; pulsatio à sanguinis cordis ictibus in partes ingurgitatas alternatim impulsi nisu atque impetu. Hæc autem inflammatio quatuor modis terminari potest: nempe aut partes fluidæ vi vitæ attenuatæ, subactæ, ad minorem molem redactæ, tandem cedere coguntur, motu liquorum abripiuntur, sicque soluto infarctu liber sanguinis redit circuitus, fit resolutio: aut partes sanguinis ita intrusæ in minima vasa & cum illorum parietibus ita compactæ ut exinde nullo modo deturbari & ejici queant, perpetuo liquidi ponè urgentis motu agitatæ & propulsæ, tandem vasa haud apta tantis viribus sustinendis sensim desstruunt, & in pus simul abeunt, fit suppuratio. Si obstructio maxima, æstus vehemens; pluribus inflammatione correptis vasis, sistitur circulatio in parte inflammatâ, subsequenteque putredine fit sphacelus. Superest scirrhus in quem aliquando desinit inflammatio, quando scilicet difflatis partibus fluidissimis induratur residuum & concrescit cum vasis. Ex his autem quatuor modis quibus terminatur inflammatio, sola resolutio exoptanda est; hæc est quam semper intueri, quam semper sibi proponere debet Medicus, exceptis forsan inflammationibus quibusdam externis & criticis: Etenim quoad internas sola est via quâ æger ad salutem tutò revocari possit, cum tres aliæ ferè semper lethales sint. Ut autem sola vasorum actio liquidorum fluxum in statu sano promovet, eorumque stagnationem præcavet, sola etiam in statu morboso eumdem interceptum restituere, concreta liquida dividere, resolutionemque efficere potest. Ab aliâ igitur quâcumque causâ opem nequicquam expectaremus, ni adesset simul fibrarum actio. Nec attenuantia, nec incidentia, nec resolventia, nec diluentia ullam in fluida potentiam exercent nisi solidorum ope. Quod de prioribus liquidò constat & primo intuitu patet, & de diluentibus etiam concedendum est, cum absque vasorum actione partibus humorum diluendis immisceri & confundi nequirent. Emollientia etiam quæ exteriùs inflammationibus applicantur, motum fibrarum restituendo conducunt fibras scilicet relaxando oscillationes anteà propter partium stricturam & tensionem suspensas revocant: unde in tumoribus ab inertiâ vasorum enatis plurimum nocent, nedum proficiant. In eo igitur totum versatur Medici negotium ut actionem fibrarum aut suspensam revocet, aut deperditam restituat. Ad id tendunt omnia quæ ad inflammationes discutiendas accommodata cognoscuntur. Sanguinis missio ut in depletas evacuatione venas liberior fiat sanguinis ex arteriis expulsio, sicque minutâ resistentiâ in liquidis, fibrarum vi moveri possint moleculæ infarctum & obstructionem jam jam minitantes, aut etiam formantes. Idem efficiunt attenuantia, repellentia, resolventia, & cætera quæ fibras irritando fluidorum in vasis motum accelerant, concretionem impediunt coagulatave resolvunt. Idem etiam efficient ritè adhibita vomitoria quæ succutiendo & latera vasorum comprimendo in liquores necessariò agent, impeditosque propellent.

I I I.

INTER omnia quæ ad morborum expugnationem in usum cesserunt medicamenta, nulla majorem ægris metum inferunt quàm emetica. Quippe persuasum habent omnia quæ vomitum concitant aliquid venenosi habere quod sanguinem ultrà modum incendens, vitæ & sanitati admodum est infensum. Quin etiam plurimi inter Medicos eumdem cum ægris quasi timorem communicantes manu nonnisi tremente emetica ægris porrigere audent. Non inficiabimur autem in plerisque vomitoriis latere aliquid subtilis & causticæ indolis quod inordinatos in corpore motus conciat, sicque plurima inferre potest mala, tum genus nervosum spasmis & convulsionibus afficiendo, tum sanguinem hùc & illùc pellendo & repellendo. Sed hosce motus licet inordinatos tamen saluti esse, morborumque curationi inservire posse hoc etiam contendimus, hoc experimentis evinci plurimis, hoc ratione confirmari, & ex emeticorum actione patere asserimus. Etenim in vomitu primùm irritatus ventriculus convellitur, plurimisque nervis quibus cum omnibus ferè partibus consensum habet, musculos abdominis, pectoris, diaphragma in motum etiam agit. Hinc comprimitur abdomen, hinc concutitur totum pectus, variisque succussibus agitatur; tumque violentâ musculorum abdominis potissimumque transversi actione, materiæ in ventriculo contentæ, per pylorum convulsione occlusum exitu denegato, per œsophagum violenter exprimuntur. Pectus igitur cum abdomine ut majorem ab emeticis patiuntur actionem, ita quoque ab iis ritè vel præposterè adhibitis plurimum levantur vel laborant. Etenim sub tantis motibus agitatis visceribus in iis necessariò acceleratur sanguinis circuitus; fortius itaque impingit in partes fluidorum vasis implicitas, si quæ sint, eas majori impetu diverberat, majorique nisu impellit. Aliunde cum fibrarum vim solam resolutionis ministram agnoverimus, sub emeticorum actione quâ tanta fit ubique succussio, viscerumque compressio, quinam fibris tunc additur stimulus? Latera vasorum vehementiùs constringuntur, vehementiùs itaque in fluida agunt, ea percutiunt, sicque undequaque crescentibus quæ fluida movent viribus, non possunt tandem non abripi partes quæ aut stasi suâ, aut motûs lentore obstructioni locum præstabant; non possunt non dividi quæ nimiâ mole canalibus subeundis impares cæterarum progressui obstabant, denique non potest non solvi infarctus, liberisque relictis vasis non evanescere omnia quæ obstructionem sequebantur symptomata. Quânam igitur ratione emeticis effectum denegaremus, quem tot aliis auxiliis idem omnino efficientibus tam libenter concedimus? Motus infarctibus solvendis aptissimus semper visus est, quòd canales succutiendo liquidorum per eos cursum promovet: compressiones cum laterum vasorum resistentiam augeant, congestiones præcavent: frictiones vasa & liquores contentos alternatim comprimendo & conquassando,

liquida attenuant, dividunt, tumoresque feliciter discutiunt. Sola emeticorum actio hæc omnia simul præstat. Agitat & succutit vasa, ea comprimit, liquores conquassat, attenuat, movet. Non igitur omittendum est auxilium quod tot auxiliorum quibus in inflammationibus internis nullus remanet locus, vices quodammodo, gerere, eorumque defectui supplere potest.

I V.

HIS explicatis quid boni in inflammationibus pulmonum etiam cum sputo cruento præstare possit emeticum determinare non erit difficile. Etenim si revocentur omnia quæ de inflammationis naturâ causis & effectibus exposita sunt, si concedatur inflammationem esse veram obstructionem in vasis cruorem vehentibus quâ ipsius cursus intercipitur; cum, quâ potentiâ, quâ efficaciâ obstructiones tollat emeticum, demonstratum fuerit, inflammationes simul tollere posse etiam confitendum erit. Quam immerito igitur invehuntur illi qui tale auxilium in hisce morbis tanquam exitiale fugiendum esse existimant! Quippe quod eos sanare, sputaque cruenta sistere visum fuerit. Nec profecto mirabimur, si ad eam sanguinis eruptionem producendam, obstructionem solam sufficere animadvertamus. Quando enim sanguinis cursus obstructis vasis impeditur, liquidum continuo motu advectum ulteriùs transire impotens cumulatur, vasa distendit, illorum fibras vi & copiâ molestè distrahit, quæ si debiliores sint, aut impetus fortior brevi disruptæ sanguini fugam molienti exitum novum aperient. Prout igitur quod libero cursu fluens, littora etiam placidè lambebat flumen, si oppositis repagulis sistitur, exuperat, avulsisque ripis effunditur; sic in sputo cruento cruor qui antea liberis ferebatur vasis, nulloque ejus motui obsistente impedimento, latera vasorum mediocriter feriebat, si enato quodam obice impediatur, parietes quibus continetur vehementer allidit, iisque diffractis ejicitur. Quomodo igitur tali incommodo medebitur? Sane multum proderunt sanguinis missiones, quæ liquidum detrahendo, nimiam vasorum distensionem præcavebunt, impetum minuendo, vim vasis antea quasi onus sustinendam, eorumque hiatus semper aperientem auferent. Sed ni solvatur infarctus; ni sublato obstaculo liber restituatur liquidi fluxus, perfectam curationem nequicquam sperabimus. Semper enim in vasa obstructa velut in antrum cæcum impingens cruor parietes illorum distendet, suspensos detinebit, vulnusculaque hiare coget, aut teneriores cicatriculas, si quæ sint, fortiùs distrahet, novæque ruptionis semper erit periculum. Medicamentis igitur resolventibus uti non modo utile est, sed etiam necessarium. Aliter imperfecta plerumque fit resolutio, remanentque sæpissime aliquot vasa obstructa. Hinc fons tot morborum qui *peripneumoniam* tam frequenter excipiunt. Hinc ulcera pulmones exedentia, tabemque inducentia miserabilem. Hinc tubercula, asthmata, anhelitus, pulmonum debilitas & tot alii morbi *peripneumoniæ* totidem soboles. Quamobrem non tarda sed cita esse debet curatio, resolutioque non spectanda sed acceleranda est: proinde non ut noxia rejicienda sunt emetica, sed ut utilia adhibenda; non fugienda, sed suadenda; non arcenda sed arcessenda. *Peripneumoniam* quippe & sputum sanguineum ferè sola in initio tollere valent; eoque felicius quod sano visceri stimulum inferendo, relentescentis in affectâ parte liquidi lentorem castigant, obstructionemque mox formandam præcavent, aut etiam jam formatam tollunt; præcipue si eo tempore adhibeantur quo moleculæ ingurgitatæ, misso priùs sanguine, sicque minutâ liquorum densitate, e loco adhuc moveri queunt; & si vomitûs tempore, ne ventriculi parietes in motibus suis ad se invicem allidantur, magno aquæ calidæ haustu remoti sedulò teneantur; nec emeticum materiæque contentæ ventriculo nimiùm adhæreant, sed magnâ vehiculi quantitate diluta vel minimo hujus visceris nisu expelli queant. Tunc enim enormes non fiunt ventriculi convulsiones, sed leniter procedit emeticorum actio; partes in consensum tractæ non dirè succutiuntur, sed benignè commoventur; non violentius constringuntur vasa, sed molliter comprimuntur; nec liquores tumultuosè agitantur, sed placidè propelluntur: denique *emesis* vitantur incommoda, omnes percipiuntur utilitates.

V.

UNUM nunc explicandum superest nempe cur, cum emetica hisce morbi tollendis tam apta ostensa fuerint, attamen tam sæpe ab iis exacerbentur *peripneumoniæ*, quin etiam lethales fiant. Quod quidem non experientiâ duntaxat, sed etiam ratione confirmatur. Etenim quando obstructa vasa sanguini appellenti transitum denegant, cumulatumque liquidum canales ita distendit ut eos etiam perrumpat, quid à medicamentis ut emeticis non metuendum, quæ liquores insolitis motibus agitando illorum vim nisumque in fibras adhuc augent? Erumpet magis ac magis cruor per hiantes vasorum aperturas, novas etiam sibi in angustiis pressus aperiet, aut in lymphatica irruens, in iisque altiùs intrusus enormem pariet inflammationem. Fatendum equidem ea esse vomitoria quæ si nullum afferant bonum, plurima inferunt mala. Si enim suis succussibus partes ingurgitatas propellere, compressione exprimere nequeunt, necesse est ut eas altiùs urgeant, fortius inter angustias vasorum quasi clavum infigant, sicque omnem resolutionis spem auferant. Quinam igitur erunt casus in quibus emetica exhibere licebit? Quibusdam signis dignosci poterunt? Sanè, discernere quando utilia vel noxia erunt, quando morbum curabunt, vel eum exacerbabunt, res est judicii admodùm difficilis, & quæ plurimùm attentionis in Medico requirit, cum ex eâ pendeat ægrorum salus vel pernicies. Quippe si ingurgitatæ moleculæ partibus fluidioribus avolatis eò usque induruerint, ut emeticorum succussione dividi nequeant, aut ita cum vasis concretæ illorum lateribus adhærescant, ut nullâ vi apertâ avelli

posse videantur ; tunc non modo non adhibenda sunt emetica, sed ut hostis perniciosissimus fugienda sunt. Quò enim potentiùs ad salutem revocare possunt resolutionem efficiendo, eò citiùs mortem inferunt, quando obstructionis contumaciâ eluduntur. Malè autem immeritòque exinde concluderetur vomitoria in hisçe morbis omnino vitanda esse, nec in ullo horum statu adhiberi posse, sed in omni casu arcenda esse ; nisi repellentium, astringentiumque initio *phlegmones* vituperetur usus quem tam lucidè nobis exposuerunt veteres. Quâ etenim curâ, quâ perspicaciâ horumce medicamentorum applicationem nos edocuerunt ? Quâ attentione ab inflammationibus quæ ad statum pervenerant, astringentia removerunt quæ in principio ut optima commendarant : doctrinam scilicet quam hodie exponimus, si non explicarunt, saltem senserunt. Illa etenim fluxio quam fieri dicebant nihil aliud significat quàm tempus illud quo moleculæ fluidorum, retardato motu, sequentes sistere incipiunt ; tempus quo repercutientibus adauctâ fibrarum virtute, omnia evanescere, & ad statum naturalem reverti posse censebant. Quis etenim nescit partes ingurgitatas non ita hisce initiis indurari potuisse, ut leni propulsioni resistere queant ? Cur igitur eadem de pulmonum inflammatione non concederemus ? In inflammationibus vividis, magnis, magnâque symptomatum turba notatis sanè arceri debent emetica ; ab iisdem externis astringentia removebant veteres. Quoties enim obstructiones ita contumaces erunt ut partes ingurgitatæ ferè æque ac ipsamet vasorum latera resistant, toties intempestivâ succussione necesse erit, ut partes magis lædantur, infarctus augeatur, suppuratio aut gangrena, morsque ipsa eveniat. Quando autem non ea erit resistentia quæ propulsionem superet ; cur emetico stagnantes non cederent moleculæ ? cur fugientes liberos non relinquerent canales ? cur vasorum ab impedito liquidi fluxu distensione sublatâ, vulnuscula propriâ contractione non occluderentur, sanguinisque non sisteretur excretio ? denique cur non sanaretur morbus ? Ad id igitur reducitur omnis controversia ut molecularum resistentia ritè determinetur : in quo quidem peccari facillimè potest. Hinc emeticis aliquoties augentur morbi qui ab iisdem sæpè sanati fuerant : hinc icterus in quo bilis hepaticos occupans ductus non admodum induruerit emeticorum succussibus dissipatur, dum alias per venæ cavæ ramos propulsâ bile plurimùm crescit : hinc felices quibus gloriantur *Empyrici* successus ; dum validis medicamentis quæ Medicus ob prudentiam, & œconomiæ animalis peritiam reformidabat, totum genus fibrosum succutiendo, obstructiones aliquando potenter discutiunt, quas aliquando etiam iisdem remediis lethales efficiunt : hinc coctionis cruditatisque venit distinctio, mobilitas nempe & immobilitas partium quæ obstructionem formant. Medici igitur est partium ingurgitatarum statum, & quæ futura sit illarum resistentia sedulò investigare, an succussione moveri possint ? An diuturniori fibrarum actioni quæ eas sensim dividat aut concoquat permittendæ sint ? Quamobrem in inflammationibus pulmonum in quibus pulsus admodum tensus, spirandi difficultas maxima, dolor acutus, rubor faciei vividus, febris vehemens, calor ferè urens, lingua exsicca & quasi exusta, denique gravia symptomata gravem esse inflammationem edocebunt, ab iis, inquam, inflammationibus longè removeantur emetica ; metus est ne obstructionis contumaciæ superandæ imparia sint, perniciosisque succussibus malum adaugeant : in iis autem in quibus moleculas vasis impeditas iis non admodum adhuc hærere demonstrabit symptomatum remissio, qui emetica rejiciunt, auxilium renuunt cujus ope inflammatio quasi manibus tolli potest, omnia symptomata cito fugari, fluida ingurgitata efficaciter exprimi, canales potenter reserari, liberâ restitutâ circulatione sputum cruentum feliciter sisti potest ; sicque tot calamitatibus quæ *peripneumoniam* ut plurimum excipiunt, ægrotantes eripi possunt.

Ergo in inflammationibus pulmonum etiam cum sputo cruento aliquando Emeticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Josephus Cotton.	*M. Theophilus* de Bordeu, *Eques, Nosocomii Regii & militaris Baregiensis Medicus designatus, nec non Serenissimi Condæi Principis Consiliarius Medicus.*	*M. Anna - Claudius* Dorigny.
M. Henricus - Joannes Baget.	*M. Petrus-Abrahamus* Pajon de Moncets, *Eques, Academiæ Regiæ Catalaunensis Socius, rei Herbariæ Professor.*	*M. Ludovicus-Joannes-Baptista* Cosnier.
M. Carolus - Jacobus Saillant.	*M. Jacobus* Gourlez de la Motte.	*M. Petrus-Augustinus* Adet.

Proponebat Parisiis ALPHONSUS-VINCENTIUS-LUDOVICUS-ANTONIUS LE ROY, Rotomagæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1774. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.